

propugnaculo, & quodsi in eo quam tristissimo statu versetur, quis nostrum est? quem non oporteat hos sibi facere carissimos, ad hos confugere; hosque consulere ea fiducia, eo animo, quo de nobis solliciti sunt. Surgis ex eorum ordine CANDIDATE PERDOCTE ad disceptandum materiam, quæ, prout singularis indolis est, & amussim, in tua arte exactissime accommodata, tum benignam ingenii venam, tum iudicii acumen loquitur. Surgis ea propter in Doctorum numerum adscitum iri: unde, quam laudem, quam gloriam aperto Marte TIBI vindicas, plenus gaudii TIBI ex toto pectore gratulor. Ut laborum omnium TUORUM, de quibus TIBI contentio erit, successus eveniant felicissimi, iterum atque iterum TIBI apprecor. Tandem, quod carissimum vitæ genus inter nos junxerat infantia, pueritia, quodque juvenus tam in Academia Albertina, quam Fridericiana confirmaverat: non possum, quin TIBI insistam precibus flagranti ex animo, ut tanta inde constata amicitia me prosequaris indefinenter. Vale. Dabam in Academ. Halensi D. VII. Calend. Maii.

cl̄oĪcccxxxiii.

PRÆNOBILISSIMO
DOMINO CANDIDATO

AMICO OPTIMO

S. D. P.

JACOBUS THEODORUS KLEIN,

TILS. BOR. L. L. C.

Cathedram conscendis, amice honoratissime, morbos explicaturus, quibus humana corpora mire corripuntur, & qui eo magis evolvi merentur, cum latente vel singulari causa sæpius prorepant: immo vero in instanti, ut ita dicam, mystico quodam modo interdum oriri videantur. Miranda satis rerum facies, quæ earum causas detegenti jucundissimum præbet spectaculum! Iuvat cernere, quæ

K 2

rerum